

## XIX. PHOCION

## CAPVT I.

I. <sup>1</sup> PHOCION ATHENIENSES, etsi saepe exercitibus praefuit, summosque magistratus cepit; tamen multo eius notior <sup>2</sup> integritas <sup>a)</sup> vitae, quam rei <sup>3</sup> milita-

<sup>1</sup> *Phocion]* Phoci, qui cochlearium artifex falso dicitur fuisse, filius. V. Periz. ad Aelian. XII. 43. et Wesseling. ad Diodor. Sicul. L. XVIII. cap. 64.

<sup>2</sup> *Integritas vitae]* Ea patet praecipue, quod εἰς τῆ γαμβρῶ χαρίλλω δίκην ἔχοντι περὶ τῶν ἀρπαλείων συνεισηλθεν, ἀλλ' ἐγὼ σε (Φήσας) ἐπὶ πᾶσι τοῖς δικάίοις ἐποίησάμην κηδεσὴν, ὥχετο ἀπιῶν, vt refert Plut. T. II. Praec. polit. pag. 808. et quod Harpalo vocatus est ἔρυμα πανταχόθεν ἀνάλωτον ὑπὸ τῆ χρυσῆ. V. T. I. in Phoc. p. 751. *Stauer.* De vitae integritate Phocionis multa disputat Heusing. ad h. l. Lambino duce, vt Cornelium ab inconstantia et repugnantia, quod infra dicitur Phocion fuisse proditor, vindicet: et, "est, inquit, illa integritas, non, quae ceteras virtutes omnes complectitur, nec *innocentia* magis, *probitas* et *vitae sanctitas*, quam ἀδίαφορσία, siue abstinentia a muneribus constans ac perpetua recti agendi voluntas, quae nec pretio nec gratia ab honesto abducitur. — *Perfidiae* crimen, quo Phocion

arguitur, multorum aliorum iudicio falsum fuit. Illi certe scriptores, qui supersunt, eius benignitatem, liberalitatem, constantiam in officio erga immeritos quoque amicos, vno ore praedicant, et proditionis suspicionem refutant. Demostenem enim et Pireum portum non perfide prodidit; sed alterum, quum seruare non posset, tueri desit; alterum, per fraudem ab hostibus occupatum, irrito conatu vindicare noluit, atque ita inualescenti hostium potentiae non sauit, sed inuitus coactusque cessit., Adde, quod Phocion octogenarius fuit, quum in suspicionem proditionis veniret: et ad illud vsque vitae suae spatium integritatis laude potuit iure florescere. Sed rebus Atheniensium post Alexandri M. obitum in summum denuo adductis discrimen et perturbatis, Phocion, imbellis et decrepitus senex, facile immutari et a pristina mentis constantia atque firmitate desciscere potuit; quum maxime ea aetate homines tardiores, timidiores et creduli sint, et facilius flecti, aut metu a rebus grauioribus audaciaque deterreri possint. *Harl.*

<sup>a)</sup> *integr.* est *vitae* repositum Heusing. quum est editi